



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Quid quælibet concreta importent, & quo pacto?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

ma, actiue in subiecto recepto, eum loqui indicet.

CAPVT II.

Quid qualibet concreta importent, & quo pacto?

16 Quid attinet ad concreta accidentalía, siue intrinseca, siue extrinseca, vt v.g. album, nigrum, genus, speciem &c. ea quidem importare semper in recto subiectum & in obliquo formam, docent Aureol. in 1. dist. 4. q. 1. art. 4. Auicenna 2. p. log. cap. de proprio Hurt. disp. 6. de an. f. 4. §. 38. & disp. 9. met. sect. 3. num. 28. Arriaga disp. 1. sum. f. 9. num. 262. & 66. Idem tradunt Fonseca lib. 5. met. cap. 7. q. 5. sect. 4. & Sotus q. vnic. de gen. art. 2. quibus in locis ambo, tametsi concreta accidentalía pro formali, adeoque magis principaliter censeant significari, ac nominari penes formam, quam penes subiectum; cæterum eorum nomina pro hoc supponere non pro illa, seu, quod perinde est, hoc non verò formam esse, id de quo dicitur quodlibet concretum, & quod dicitur dicto omni conc. eo, ac per consequens subiectum solummodò importari ab eis in recto adassentunt. In eadem sententia est Capreolus in 1. sent. dist. 4. art. 1. ad 2. his verbis, *Licet album, & albedo idem significant, tamen album copulat subiectum; significat enim albedinem in concretionem ad illud, & subiectum dicit in recto, & ideo supponit pro illo, & non pro albedine, albedo autem significat eandem formam sine tali concretionem, sed per modum substantia, vt dictum fuit supra, & ideo album non predicatur de albedine, nec e contra.*

17 Cæterum concreta accidentalía, quæ eacunque sint importare semper in recto formam, & non nisi in obliquo subiectum, aliquorum est sententia: quæ etiam tribui solet Caietano, Scoto, & alleclis: At vero eiusmodi concreta aliquando importare in recto solam formam, aliquando subiectum censent alij, quos suppressis nominibus refert supra Hurtadus disp. 6. de an. sect. 4. idem etiam innuit Auerſa q. 23. log. sect. 3. §. *addi potest.* Ita de concretis accidentalibus specificatiue, & absolute sumptis alij, alique authores: ea autem reduplicatiue sumpta importare in recto formam solam docent plerique: at subiectum simul, & formam quamuis pauci, sed tamen aliqui.

18 Rursus quod attinet ad significationem nominum, concreta accidentalía, quatenus talia, significari magis principaliter penes formam, & minus principaliter, solumque insinuatitè penes subiectum, docent Auerroës lib. 5. met. comment. 14. Alexander Alensis ibidem, Albertus Magnus etiam lib. 5. met. tract. 1. cap. 11. Capreolus supra in 1. dist. 4. q. 1. & 2. Durandus in 1. dist. 34. q. 2. Gregorius in primum dist. 8. q. 2. art. 4. Item B. Thom. lib. 5. met. lect. 9. his verbis, *nec est verum quod Auicenna dicit, quod predicata, quæ sunt in generibus accidentis principaliter significant substantiam, & posterius accidens, sicut hoc quod dico album, vel musicum: nam album vt in predicamentis dicitur, solam qualitatem significat, & significat autem hoc nomen album subiectum ex consequenti, in quantum significat albedinem per modum accidentis, unde oportet quod ex consequenti includat in sui ratione subiectum; nam accidentis esse est inesse, albedo enim etsi significat accidens, non tamen per modum accidentis, sed per modum substantia, unde nullo modo significat substantiam, si autem*

principaliter significaret subiectum, tunc predicata accidentalía non ponerentur à philosopho sub ente secundum se, sed sub ente secundum accidens: nam hoc rorum, quod est homo albus, est ens secundum accidens. B. Thomam Caietanum, & eius factionis authores alij communiter sequuntur. Sed Auicenna, Hurt. & Aureol. locis citatis malunt, concreta accidentalía importare subiectum velut magis principale significatum, & formam velut minus principale: Alij autem indicant, vtrumque ex æquo significari, & neutrum eatenus alteri anteferendum. At Fonseca relato illo cap. 7. lib. 5. metaph. quæst. 5. sect. 4. distinguit inter concreta accidentalía arte facta, & ea quæ sunt naturalia: atque hæc docet principaliter significari penes formam, quam penes subiectum, illa vero quoad vtrumque ex æquo, & formaliter, neutrumque insinuatitè, & secundaria ratione.

19 Denique, quod spectat ad rationem intrinsecam vel extrinsecam cuiuslibet concreti accidentalis; plerique authores significant, omne concretum accidentale importare intrinsecè, ac per identitatem realem tam formam, quam subiectum; Cæterum Rubius in prædicam. cap. 4. q. 2. à num. 15. tradit bifariam sumi posse, & solere concretum accidentale: primò, prout est vnum per accidens, & ex rebus ad diuersa spectantibus prædicamenta coalescens, & ita importare formam; & subiectum v.g. albedinem & parietem, intrinsecè quidem, & per identitatem veram: secundo prout est vnum per se, vniùque duntaxat prædicamenti, & sic importare intrinsecè & identicè solam formam accidentalem, eiusque vnionem cum subiecto, hoc vero tantum extrinsecè, & connotatiue, ac velut quid ab eo realiter adæquatè distinctum.

20 Hæc authorum sententiæ de concreto accidentalí. Quod autem attinet ad concretum substantiale, quale v.g. correspondet huic voci, *homo*, aliqui, in quibus P. Arriaga disp. 2. summul. sect. 9. docent, in suppositis purè creatis inuolui solam naturam in recto, & subsistentiam in obliquo; at in Christo modò subsistentiam inuolui in recto, & naturam in obliquo, interdum etiam vice versa, hanc in recto, & illam in obliquo. Alij verò, inter quos P. Vasq. 1. part. disp. 130. cap. 3. num. 3. putant concreta substantia his respondentia nominibus, Deus, homo, quidam homo, importare in recto solam naturam, & in obliquo subsistentiam: è contrario verò se habere concreta his subiecta vocibus, Petrus, Paulus, Persona, Pater æternus, eius Filius, aut Spiritus sanctus. Sed alij ex quibus videtur esse Auerſa quæst. 23. log. sect. 3. existimant omnia concreta substantia, importare in recto seu directè tam naturam, quam subsistentiam.

21 Porro quod spectat ad significationem nominum, concreta substantia expressius, & distinctius, adeoque magis principaliter significari quoad naturam, si sint his subiecta vocabulis, homo, Deus, hic homo, aliisque id genus: sin autem isti, persona, suppositum, Pater æternus, Filius, &c. quoad solam subsistentiam ita significari, tuentur Vasquez & Auerſa locis citatis, ac cæteri fermè Authores: dixi, *fermè*; quoniam aliqui Thomistæ cum Capreolo in 1. dist. 4. q. 1. art. 1. conclus. 5. docent omne concretum substantiale significari principaliter, & distinctè quoad solam naturam, nec nisi secundariò & implicite quoad subsistentiam. Tandem Scolastici quos viderim, ferè omnes in ea sunt sententia, vt putent concretum omne substantiale importare intrinsecè, & identicè tam naturam, quam subsistentiam, & neutram extrinsecè, ac tantum connotatiue.

CAP.